

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...  
Ad exequias, quas Matronae ... Margarethae Klandrians/ Viri ... Dn. Bernardi  
Scharffenberg/ p.m. per 29. annos viduae liberi eius maestissimi Hodie hora 1. in  
aede Mariana paratas cupiunt, Omnes Cives Academicos officiose & amanter  
invitat**

Rostochii: Kilius, 1667


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771257929>

Druck Freier  Zugang




**Redeker, H.R.,  
in M. Klandrian,  
uxorem B. Scharffenberg.**

**Rost. 1667.**







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HEINRICUS RU-  
DOLPHUS Redeker/  
J.U.D., P.P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.  
& Consistorii Ducalis Assessor.

Ad exequias,

quas

*Matronæ piissimæ & honestissimæ*

MARGRETHÆ  
Klandrians/  
*Viri Spectatissimi & integerrimi*

DN. BERNHARDI  
Scharffenberg/  
p. m. per 29. annos viduæ

liberi ejus mæstissimi

l. in eade Marianâ paratas cupiunt,

Omnes Cives Academicos officiosè  
& amanter invitat.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ. 1667.



## Salutem.



Otius anni amoenissimus punctus est, in quo nunc vivimus, qui inde formosissimus annus dicitur, quia in illo omnia, operante natura, quæ speciosas edere formas novit, florent, & jucundo aspectu humanos sensus ineffabiliq; afficiunt gaudio. Quæ hactenus tanquam sepulta latitarunt, jam pleno succu prodeunt, & circumcirca se jucundo aspectu ostendunt. Terra quæ propter brumale frigus vivam faciem abscondit, jam lætiori figura suos prodit thesauros. Adeoque nemo tam composito vel severo incedit habitu, qui amabili *Floræ* elegantia non capiatur. Mens humana, & mentis ministri, quos sensus appellamus, fatentur, non alibi se oblectari jucundius, quam in speciosissima pulchritudine præsentis terræ, quæ suppellectile suâ variâ maxime vitam humanam voluptabilem facit ac svavem. Hic videmus ex culto pariter & inculto agro progerminare varia herbarum & florum genera; illic frugiferas arbores suas protrudere gemmas; istic aves dulcisono cantu inter se certare audimus; quæ omnia tacitis oblectationum illecebris

lecebris animos hominum quasi effascinant, & spem certam futuræ messis faciunt. Verum enim vero ut ut hæc omnia jucundissimo aspectu, fragrantissimo odore, suavissimo sapore, mollissimo tactu, & amicissimo auditu sensus nostros, adeoq; communiter omnem refocillent & exhilarent hominem, attamen longè inferiora sunt illis, quæ circa hoc annitempus veros christianos internâ afficiunt lætitiâ. Ubi Christum Jesum, qui, ut genus humanum à morte æternâ redimeret, passus quidem ac sepultus est, sed divinâ suâ virtute ex sepulcro arctissimè clauso resurrexit, in verâ fide devotissimè amplectuntur. Hic est Dominus vitæ & necis, qui gloriosissima suâ resurrectione, cujus in hisce diebus sanctissimam celebramus memoriam, diaboli, leonis instar rugientis, vim ac robur debellavit, morti spicula sua venenata excussit, infernum ipsum ineffabili triumpho expugnavit, omnesque credentes à morte liberavit, & suæ resurrectionis participes fecit. Hæc est victoria incomparabilis, & triumphus sublimissimus, qui non tam externos hominum sensus recreat, sed ipsam internum hominem erigit & solatur. Inde tot gratulationes, & exclamationes in Ecclesiâ Christi audiuntur: inde resonant templa & sacraria Christianorum: *Surrexit Christus hodie!* Non enim sibi soli surrexit, Dominus gloriæ, sed humano pro solamine, uti certissimam credentibus spem faceret futuræ resurrectionis. Ideo enim resurrexit Salvator noster, ut Sathanæ imperium adimeretur, mors destrueretur, infirmitates deponerentur, lacrumæ ab oculis fidelium abstergerentur, nostra corpora virtute illius resurgerent, & gloria ineffabili coronarentur. Hinc exclamat ipse Salvator & Triumphator Jesus: *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Hinc fidelissimus ejus  
Præco,



Præco, plenus Spiritu, in hæc erumpit verba: *Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Christus enim suâ resurrectione patefecit viam ut & omnes in eum credentes sint resurrecturi, est enim Dux vitæ imo ipsa vita nostra, cujus circa hoc anni tempus celebratur stupenda & gloriosa resurrectio. Nam mediator noster, devictis hostibus suis & nostris, & rejectis omnibus impedimentis, quæ salutis nostræ videbantur adversari, gloriose ex sepulcro resurrexit, & nos suæ victoriæ, gloriæ & vitæ participes fecit. Ita ut post Christi resurrectionem mors somno duntaxat exaquetur, & potius lucrum, quam damnum, quia mortem certissima sequitur resurrectio, censeatur. In hac fide salvati sunt & salvabuntur omnes fideles, in hac fide etiâ *Femina honestissima* MARGARETHA Clandrians, cui hodiè supremum honorem liberie ejus, luctu pleni, decernunt, ex hac vita decessit. *Nata autem piissima hac Matrona est Gustrovii An. 1591. adeoq; raro avi exemplo, septuaginta sex in hac mortalitate absolvit annos. Patrem habuit Virum Amplissimum & Prudentissimum DN. DANIELEM Clandrian Consulem Gustroviensium eximium: Matrem autem foeminam lectissimam MARGARETHAM Krügers. Avus ejus Paternus fuit Vir Prudens & Spectatissimus LAURENTIUS Clandrian / in municipio Friedland olim decurio. Aviam paternam habuit, Foeminam pientissimam & virtutum ornamentis conspicuam, ANNAM Klockowen / Avum Maternum laudat Virum Consulitissimum & Prudentissimum Dn. ULDARICUM Krügerem / Consulem Gustroviensium gravissimum. Avia materna ipsi fuit foemina itidem laudanda ANNA LEPPINS. Hisce parentibus nata non solum, sed & in omni sexui suo competenti virtutis*

virtutis genere & officiis, juxta & in verà pietate Deique  
timore, fidelissime educata, cum jam ad maturiorem eta-  
tem perdenisset, Deo sic disponente, matrimonii vinculum,  
Anno 1611. 29. Apr. cum Viro Integerrimo Dn. VALEN-  
TINO HAVEMANNO Cive apud Rosochiensis primario,  
contraxit, quo cum per biennium & menses aliquot conjun-  
ctissime vixit, geminamque prolem ex illo, duos sc. filios,  
quorum alter in ipso partu periit, alter vero VALENTI-  
NUS in castris Magni Moschorum Ducis vel adhuc stipendia  
meret, suscepit. Exatto isto biennio Anno 1614. 17. Martii  
priori marito, probdolor! orbata fuit, cujus mortem cum  
per annum & veste & corde lugubri luxisset, secunda vita  
iterum, pravo consilio & suasa amicorum suorum, anno 1616  
cum Viro Spectatissimo & Integerrimo, BERNHARDO  
Scharffenberg / Consultissimi & prudentissimi Dn.  
BERNHARDI Scharffenbergs / Reipubi. hujus Urbica  
Consulis meritissimi, germano filio, iniiit, eumque octo li-  
beris beavit, quorum maximus natu BERNHARDUS adhuc  
superstes, centumviratu defungitur & matris mortem cali-  
dissime deplorat, qui bina ante lustra Virginem lectissimam  
JOHANNAM Saffrenzen / Viri prudentissimi Dn. MI-  
CHAELIS Saffrenzen & JOHANNÆBACKMEISTERÆ  
filiam, uxorem duxit, ex quo conjugio pie defuncta nostra  
quinque nepotes, MICHAELM GEORGIUM, JOHAN-  
NAM JUSTINAM, BERNHARDUM JOHANNEM,  
DANIELEM JACOBUM & MARGARETHAM CHRI-  
STINAM, omnes adhuc superstites, conspexit. Alter nato-  
rum DANIEL dictus, ante patrem diem suum obiit; Qui  
illum excepit NICOLAUS, tredecim ante annos ad superos  
migravit. Alter ab hoc JOHANNES, per aliquot annos  
in castris Invictissimi Romanorum Imperatoris Leopoldi I.  
contra

contra Turcas pharmaceuticam exercuit, & forsan inter ea  
ad huc degit, Quinta soboles MARGARETHÆ nomen sor-  
tita, in primâ & florentissimâ virginitate vitam hanc reli-  
quit; Quæ illam sequitur AGNETA Anno 1644. 24. Sept.  
primò, Viro Experientissimo PETRO BARNSTORE-  
FIO, Amplissimi Senatus Rostochiensis Pharmacopœo peri-  
tissimo, nuptui locata, eundem quatuor filiis, matrem verò  
quatuor nepotibus beavit, quorum BERNHARDUS, natu  
maximus, Medicina studiosus industrius jam febrî & intesti-  
norum doloribus correptus, aviæ obitum effusè deflet, Alter  
vero, JOHANNES dictus, studiorum gratia in alma Leu-  
coreâ degit, & PETRUS, qui hunc excepit, statim post na-  
tivitatem suam ad superos sese recepit, Quartus horum, in  
ipso partu extinctus fuit. Sed dissoluto hocce matrimonio,  
quatuordecim ante annos, secundò, Viro itidem Experien-  
tissimo GEORGIO HENRICO Weidentopffen / h. t.  
Amplissimi Senatus Rostoch. Pharmacopœo solertissimo, feliciter  
& ex voto nupsit, & piè defunctam duabus ex illa neptibus,  
ANNA SOPHIA, in ipsa infantia morte oppressa, MARGA-  
RETHA AGNETA puellula lepidissima, & uno nepote JO-  
HANNE GEORGIO, optima indolis & spei puero, quem  
Deus in spem familie sue adolere cum sorore permittat, ex-  
hilaravit. Septima proles ANNÆ nomine insignita, ante o-  
ctennium Viro peritissimo Dno JOHANNI Kirchhoffen/  
Pharmacopœo in Dania metropoli Hafnia, privilegiato, matri-  
monio junctâ, hucusque conjugium satis fortunatum & con-  
cors, improle tamen experta fuit. Ultima soboles URSULA  
dicta, nuper conjugii fœdere Viro prudentissimo Dn. DA-  
NIELI Geschen / Camera Rostochiensium Secretario, sociata,  
cum marito, funus hocce maternum, nimis maturè matrimoni-  
um ipsorum insecutum, acerbè luget. Anno 1638. 22. Maij piè de-  
functâ

*functâ nostrâ secundo viduata, & marito suo dilectissimo  
BERNHARDO Scharffenberg/ orbata fuit, post cujus o-  
bitum jam per 29. annos in viduitate substitit, variamque  
fortunam interea temporis experta, morbo præprimis asthma-  
tico plurimos per annos graviter laboravit, quo porro ingra-  
vescente & acutâ tussi accedente, ita fuit emacerata, ut die 8.  
Maij. b. 12. vespertina, sumptâ prius, de manu Viri Pl.  
Reverendi & Excellentissimi Dn. JOHANNIS  
QUISTORPII S. S. Th. D. & P. P. Amici & Collegæ nostrî  
conjunctissimi, Eucharistia, inter preces & lacrymas suorûm,  
placide exspiraverit, annum ætatis agens 76.*


Ex his omnibus abundè patefcit, quæ fuerit honestissimæ  
hujus Matronæ origo, quod vitæ, cujus satur erat,  
curriculum, quæ pietas, quis demum placidus simul &  
beatus ex hac vitâ discessus. A majoribus sanè, qui  
honoribus & vitæ integritate claruerunt, nil nisi bo-  
nam hausit indolem, eamque ad crescentibus annis ita  
excoluit, ut laudem inde & encomium virtutis omni-  
nò mereatur. Vitæ proinde adultioris curriculum,  
quantum per humanam licuit imbecillitatem, ita in-  
stituit, ut sibi suisque haud leve attulerit decus. In fami-  
liâ matrisfamilias officium ita sustinuit, ut omnia pul-  
chre adornaret, maritum veneraretur, liberorum  
curam, quæ in cultu divino & labore honesto consistit,  
impigre sulciperet, ipsumque famulitium singulari cum  
animi moderatione regeret, adeoque publicè ac priva-  
tim bonam reportavit famam. In cultu divino sincerè  
substitit, neque quicquam, quod ad contestandam debi-  
tam devotionem pertinere putabat, intermisit. Hinc  
Deus ipsi omnigenâ benedixit prosperitate, & cum ad  
seram senectam, inter varias mundi, & rerum munda-  
narum vicissitudines, annos perduxisset, placidè ob-  
dormi-

dormivit, & de resurrectione Christi certa, in spem futura resurrectionis, quam ex victoria Christi obtinuit, animam suam Salvatori suo, à quo illam acceperat, obtulit. Postquam autem hodiernus dies, ut honestissimæ hujus Matronæ funus, terræ matri Christianum, in morem mandetur, dictus est, Nostrum erit, Cives Academici, ut honoratâ præsentia exequias eamus & mortalitatis nostræ memores id officii publicè testemur, quod ab aliis, si fors ita hodie vel cras tulerit, nobis promittimus. *Omnes proindè & singulos literatos, ea, qua par est, humanitate rogo, uti velint ad funus hoc, borâ L. deducendum & humandum, frequentes conuolare.*

P. P. Rost. sub Sig. Rect. 14. Maij  
Anno 1667.







GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK





virtutis genere & officiis, juxta & in verà pietate timore, fidelissime educata, cum jam ad matrem pervenisset, Deo sic disponente, matrimonium Anno 1611. 29. Apr. cum Viro Integerrimo D. TINO HAVEMANNO Cive apud Roslochien, contraxit, quo cum per biennium & menses altissimè vixit, geminamque prolem ex illo, duorum quorum alter in ipso partu periit, alter vero NUS in castris Magni Moschorum Ducis vel admeret, suscepit. Exacto isto biennio Anno 1611. priori marito, prohdolor! orbata fuit, cujus per annum & veste & corde lugubri luxisset, iterum, pradio consilio & suasa amicorum suorum cum Viro Spectatissimo & Integerrimo, BERNHARDI Scharffenberg / Consultissimi & prudentissimi BERNHARDI Scharffenbergs / Reipubl. Consulis meritissimi, germano filio, iniiit, cui beris beavit, quorum maximus natu BERNHARDUS superstes, centumviratu defungitur & matris altissimè deplorat, qui bina ante lustra Virginem JOHANNAM Saffrenzen / Viri prudentissimi CHAELIS Saffrenzen & JOHANNÆ BACKHOFF filiam, uxorem duxit, ex quo conjugio pie decesserunt quinque nepotes, MICHAELEM GEORGIUM JOHANNAM JUSTINAM, BERNHARDUM JOHANNEM DANIELEM JACOBUM & MARGARETAM JUSTINAM, omnes adhuc superstites, conspexerunt DANIEL dictus, ante patrem diem suum illum excepit NICOLAUS, tredecim ante annum migravit. Alter ab hoc JOHANNES, per in castris Invictissimi Romanorum Imperatoris

